

resolvit: remedium prædicatum contra *pestem, venena & morbum Gallicum.*

VITULUS.

EX quo usurpatur tantum **MEDULLA** ex ossibus, quæ post cervinam est optima, & quidem inuncta temporibus *vilgias arcere*, & suavem somnum inducere solet. Postea uti reliquæ medullæ emollit, digerit & maturat abscessus.

UNICORNU vel UNICORNIS.

Quæ sunt *duplicia*, Unicornu *Terrestre fictitiū*, & Unicornu *marinum verum*. De Unicornu *Veterum* quidnam & *an sit*, multum adhuc inter se digladiantur Auctores, quidam *negant*, quidam *affirmant*. Ego per me non credo, unquam fuisse tale animal quadrupes instar tauri &c. uti illud describunt, sed omnia sunt figmenta & loca Scripturæ sacræ sunt intelligenda de Rhinocerotē. Vid. *DEUSING* in Tr. de Unicornu, qui hæc dilucidè deducit: *BARTHOL.* in Tr. de Unicornu, affirmat dari adhuc. Modernorum Unicornu verū seu *marinum est piscis*, cujus ex anteriore capitis parte seu fronte super os magnum frustum osseum eminet, sæpius aliquot ulnarum longitudine, unde non tam cornu quàm dens putatur à modernis, cum quo dente mirè convenit structura & figura, & quemadmodum ossa Elephantis dentes, ita & hoc potius dici potest dens quàm cornu, est ergò fructus marinus, & oritur ex *Cetibus & Balneis ingentibus*, qui reperitur in insulis *Grönlandia*, sive spontè deponatur, sive eximpe-tuoso incurso cum illo in saxa frangatur, & ibi copiosè reperitur, adque nos transportatur. Vid. *WORMIUS* in Museo, & *THULPIUS* in observationibus, qui habet figuram cornu piscis, & sceleton capitis. Vid. etiam *BARTHOLINUS* hist. 4. hist. anatom. Cent. 4. it. Cent. 1. Epistol. Epist. 21. Cent. 2. Epist. Cent. 53. Hoc Unicornu in multo est usu in morbis malignis, in peste, morbillis & variolis & similibus aliis morbis malignis in magno & frequenti est talis. Dosis est à ℥ss. ad ℥j. vel ℥ss. Propinatur non sine fructu, precipitat egregiè ac sudorem movet, uti notum est apud omnes. Ex hoc Unicornu, sicuti ex aliis dentibus potest preparari per coctionem Gelatina, per destillationem \ominus vol. & spiritus & similia alia, quæ ex ossibus vel dentibus possunt præparari.

URSUS.

Animal satis cognitum, quod subministrat in officinas pinguedinem inprimis, seu **AXUNGIAM**, quæ cum cinere mutis illita, ad alopeciam seu defectum crinium vel capillorum est egregium remedium. In tumoribus discutiendis & resolvendis multum commendatur. In Hernia intestinali egregiè convenit, si scil. pinguedo urfina inungatur regioni lumborum, circa spinam dorsi, post repositionem intestinorum in locum naturalem: Sic enim impedit, quò minus possint denuò excidere, & fuit secretum D. *SULZBERGERI* Patris. Unde etiam *SCHOLZIUS* Consil. 203. Herniosos inungit cum medulla cervina, ubi est ruptio, locum verò oppositum in dorso & lumbis cum pinguedine urfina admista an-

serina. Imò quando applicantur circa rupturam emplastra attrahentia, semper in regione dorsi applicatur pinguedo urfina. De hac pinguedine observatum est, quòd, quando urfi tempore hyberno pinguescunt, ipsa augeatur & creseat in capsula. In podagrigo dolore compescendo inungitur pinguedo urfina lota prius in ∇ spermatis ranarum. Ulterius pinguedinem urfi ingens esse cosmeticum, cuti illitum, sunt qui affirmant, **FEL** commendatur ad illos morbos, ad quos reliqua fella, & est quoddam \ominus vol. acre, quod convenit in iis morbis, ubi necessum est tale \ominus vol. acre. Non proinde mirum videri potest, quòd rustici eo feliciter in multis affectibus utuntur, egregiè enim penetrat, acidum absorbet, crassa incidit, & sic ad quamplurimos affectus conducit.

VULPES.

PINGUEDO Vulpis multum in usu est contra affectus nervorum, Tremores & paralyticos affectus: Unde oleum vulpinum per decoctionem factum, de quo vid. dispensatoria, in dem in affectibus nervorum valdè convenit: Difficilius potenter, anodynum est, & in atrophia confert. In contracturis & indurationibus nervorum ac tendinum externo illitu convenit tam pinguedo, quàm ex vulpe paratum \odot vulpinum. **PULMO** mirè commendatur ad affectus pulmonum, in specie quidem ad vulnera & ulcera pulmonum. Ita curatus fuit quidam egregiè, cui pulmones ingenti globulo tormentario fuerunt transfossi, quique cum frequenti sanguinis exspuitione frustra carnosâ pulmonum rejecit, per remedium ex pulmone vulpis recente ac cruento confectum, qui exemptus modo ex vulpe in ∇ appropriata contra sputum sanguinis leviter coctus fuit; deinde concisus, ipsique fuit admista conserva radicis lymphiti, flores lymphiti, amilum & inprimis sarcocolla purgata, lota & lacte mulierum nutrita: quo remedio fuit restitutus: Unde *Looch de vulpis pulmone* in asthma & Tussi conducit: sicuti totus vulpes contra phthisin prodesse dicitur, si caro vel affata vel elixata comedatur. Ad rumpendum calculum vel in vesica, vel ejus canali morantem **SANGUIS** vulpinus conducit, quo inungenda est regio vesicæ: rumpere illum dicunt calculum, uti etiam pellere adhuc in vesica stabulantem. **FEL** sicuti reliqua fella oculis convenit. *FABER* in lib. 1. Myrtheec. Spagy. cap. 16. habet *Quint. Essent. vulpculæ*, quam ceu expertam commendat ad colica tormina. **LINGUA** vulpina maximè commendatur mense Martio excissa, quòd conducit extrahendis alienis rebus ex vulneribus inflictis: sive eruatur ex animali vivo, sive eruatur ex animali mortuo. Maceranda est usus tempore in vino Malvatico, & calidè imponenda, à que multis Chirurgis habetur pro secretò; interim tamen etiam de illa videri potest lib. 5. *SCHENCK. Obs. Obs. de vulner.* Alias in simili casu unguentum ex betonica cum pinguedine leporis est expertum: quæ eadem leporis **PINGUEDO** cum pulvere cancorum fluviatiliū non minus est elegans pro extrahendis ex vulneribus alienis rebus.

CLAS-